



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 5. An Christus sustulerit legem Talionis, quando percutienti iuſit  
maxillam alteram præberi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



cuſſerit ſeruo vel ancilla ſua, ſimiliter dimittet eos liberos. Quare non iubetur, vt oculo pro oculo, aut dentem pro dente reſtituat. Neque fanè par eſt, vt, ſi Princeps ruſtico colaphum incutiat, ab eodem colaphum expectet. Maior enim eſt iniuria, ſi Princeps à ruſtico, aut dominus à ſeruo, quàm ſi ruſticus à Principe, aut ſeruus à domino percutiatur. Atq; vt videas legem duodecim tabularum cum diuina congruere, eamdemque vtrique eſſe expoſitionem, *Probabile eſt*, inquit Abulenſis, *quod nonnulli D. D. aſſerunt, ſcilicet pœnam talionis debuiffe irrogari à iudice, ſi laſus illam peteret; quòd ſi non peteret eam, ſed mallet pecuniam, tunc index non tenebatur, immò non poterat infligere pœnam talionis.*

Abulenſis  
in c. 24.  
Leuit.

§. V.

*An Chriſtus ſuſtulerit legem Talionis, quando percutienti inſit maxillam alteram præberi?*

Hanc legem non improbavit, & (quia moralis eſt) nec abrogavit Chriſtus, quando dixit: *Audiſtis, quia dictum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico* Matth. 5. 38. *uobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percufferit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, &c.* Clarum eſt enim, Seruatorem



Rom. 13.

4.

Math.

26, 52.

S. Augu-  
stin lib. 1.  
cap 31 de  
serm  
Christi in  
monte,Idem ep.  
ad Mar-  
cell. S.  
Aug lib.  
contra  
mendac,  
6. 15,

eo loco non instruere iudicem, sed docere iniurias patientem, & ad perfectionem patientiæ ducere; ne vindictam petat, sed vltionem Deo relinquat. Iudex *non sine causa gladium portat*, sed vt eum stringat iustè in illos, qui strinxerunt in alios iniustè. *Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et ad magistratum pertinet, mortem morte compensare. Is autem qui iniurijs est violatus, etsi ius suum possit repetere, rectius tamen sanctiusque se gerit, si non petit talionem. *Nempe Dominus potius misericorditer perferendam indicat infirmitatem alterius, quam alterius supplicio suam mitigandam.* *Neg, enim hinc ea vindicta prohibetur, qua ad correctionem valet.* *Ipsa enim quoque pertinet ad misericordiam.* *Nec impedit illud propositum, quo quisque paratus est, ab eo, quem correctum esse vult, plura perferre; requiritur enim, ut & ille vindicet, rerum ordine potestas data est, sed cum ea voluntate vindicet, qua pater in filium paruulum, quem odisse non potest.* Hæc Augustinus, qui eadem alibi copiosius repetit. Et contra mendacium disputans ait: *Ea, que in nouo testamento à Sanctis facta sunt, valent ad intelligendas Scripturas.* *Velut cum legimus in Evangelio: Accepisti*  
alapano



alagam in dexteram maxillam, prabe & alteram. Exemplum sanè patientie nullum, quam ipsius Domini excellentius inuenimus, & ipse tamen, cum alapa percussus esset, non ait: Ecce *Ioan. 18.* alteram maxillam: sed: Si malè locutus sum, <sup>22.</sup> exprobra de malo; si autem bene, quid me cadis? Ubi ostendit, preparationem tantum alterius maxilla in corde faciendam. Itaque passus est Christus iniuriam, & alagam excepit animo non turbato, docere tamen voluit percutientem, quam iniquè egisset. Et quamquam tunc maxillam alteram non præbuerit, ut ostenderet, quod ius esset innocenter percusso; tamen paulò post, non vnam, sed vtramque maxillam præbuit sæpius diuerberandam, quando ei coronam de spinis imposuerunt; & veniebant ad eum, & dicebant: *Ioan. 19. 3.* Ave Rex Iudeorum: & dabant ei alapas: non vnam alagam, sed alapas, & plus quam alapas. Quamobrem ad illud Christi dictum: Si malè locutus sum, testimoniū perhibe de malo; si autem bene, cur me cadis? ait idem S. Antistes: Hic dicet aliquis, cur non fecit Christus, quod ipse precepit, maxillam ut præberet alteram? Quid? Non solum maxillam alteram iterum percussuro, sed totum corpus figendum preparavit in ligno, & demonstravit, sua

S. Augustin tract. 113. in Ioan. an.



*illa precepta non ostentatione corporis, sed cordis  
preparatione facienda.*

## S. VI.

*An reuè S. Paulus percuti iussus, vicissim per-  
cussionem sit imprecatus?*

*Quod etiam fecit Paulus, qui interim,  
Act. 23. 2. quando Princeps sacerdotum Ananias precepit  
astantibus sibi percutere os eius, iustitiæ zelo ab-  
reptus dixit ad eum: Percutiet te Deus paries  
dealbate. Non utique tunc præbuit alteram  
maxillam; sed iniuste iubentem monuit  
officij sui, & criminis arguit. Ita enim lo-  
quitur S. Augustinus: Paulus Pontificis iussu  
palma percussus, contumeliose visus est dicere:  
Percutiet te Deus, paries dealbate; quod mi-  
nùs intelligentibus conuictum sonat, intelligen-  
tibus uero sanè prophetia est. Paries quippe de-  
albatu hypocrisis est, id est, simulatio, sacerdo-  
talem præferens dignitatem, & sub hoc nomine,  
tamquam candido tegmine, interiorum, quasi  
luteam turpitudinem occultans. Ita ut nomi-  
ne forinsecus niteret, intrinsecus luteis concupis-  
centijs sorderet. Quo pacto alibi loquitur  
idem Pater. Prohibuit quidem Christus,  
Luc. 6. 28. ne quis malefacientibus malefaciat, maledicat  
maledicentibus, & imprecetur; & ipsemet  
Rom. 12. 14. Apostolus idem præcipiens ait: Benedicite  
perse-*

S. Augu-  
stin. lib. 1  
serm. Do-  
mini in  
monte  
c. 19.

Idem lib.  
de men-  
dacio  
cap. 15.

Luc. 6. 28.

Rom. 12.  
14.